Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2213
Quelle:
Copyright:

CODICES SYNODICI.

DCCCCXXXIII.

H 8. Codex chartaceus gall. Sec. XVIII. Folior. 359. f. est *Volumen* I. Operis inscripti: *Remarques sur les Conciles*. Nulla quidem a prima manu in *Codice* Autoris mentio, nullum tamen dubium, illum esse *Ludov. Thomassinum Aquensem* Congregationis *Oratorii gallic.* Presbyterum et multis annis in *Parisino* S. *Maglorii* Seminario Theologiae Professorem doctissimum, ubi et an. 1695. vivere desiit. Agit de eo, ejusque Scriptis *Niceronus* T. III. p. 163. nominatimque praesens Opus excitat, cui praeter amplissimos Indices etiam Notas Marginum tribuit. At vero hae mera sunt Indicum repetitio. Ediderat *Thomassinus* a. 1667. *Tomum I. Dissertationum in Concilia Generalia et Particularia Paris.* 4. qui, quamvis regio munitus Privilegio, ipsique Praesuli *Paris. Harduino de Perefixe* inscriptus esset, quod Sedi Romanae nimium autoritatis circa Concilia generalia tribuere videretur, Parlamento delatus, subque clavibus adservari jussus est. Evasere tamen, ut fit, custodiam Exemplaria nonnulla, quorum bina a Bibliopegis mire confusa mihi objacent, ipsumque Opus *Lucae* 1728. f. rursus evulgatum est. Verum *Thomassinus* hoc partus sui fato animum, quo erat mitissimo, despondens ad alia vertit calamum, et Promtuarium istud nostrum, unde secuturi *Tomi* elaborandi erant, *msptum* destituit. Continet porro *Volumen* I. Adnotata in *Cano-*